

† R. P. Leo Roelandts (1868–1938)

(Prov. Belg.)



Die 14 Apr. 1938 Bruxellis in nosocomio S. Elisabeth mortuus est sodalis communitatis S. Ioseph eiusdem urbis, R. P. Leo Roelandts, cuius vita longa ac meritorum plena postulare videtur ut eius memoria perennis inter confratres conservetur.

Natus est Leo Roelandts in civitate Ostende 6 Dec. 1868, et vix annos natus tredecim, studiis in schola media Nieuport iam absolutis, certi mercatoris negotio in Roubaix, Galliae septentrionalis urbe, sese addixit. Inde aetate 18 annorum transiit ad administrationem vectigalium publicorum Belgii; sed exactis quatuor annis eum SS. Redemptor, ut olim S. Mathaeum, « a telonio » ad sui sequelam vocavit.

Mense Septembri a. 1890 Leo intravit novitiatum Trudonopolitanum, et vota nuncupavit festo Immaculatae Conceptionis anni insequentis. Cum in saeculo studiis humanitatis nondum vacasset, iam paulo ante professionem, anno tamen novitatus legitime completo, transiit ad « parvum studentatum », qui illo tempore Trudonopoli in eadem domo iuveniebatur in commodum illorum clericorum professorum, qui studia gymnasialia nondum absolverant. Biennium sufficiebat Leoni, utpote ingenio pollenti, ad haec studia supplenda, ita ut 18 Sept. 1893 Pulchriugi philosophia initiari potuerit. Die 10 Sept. 1898 Ill^ms Vicarius Apostolicus Mongoliae Van Aertselaer, frater nostri P. Renati, tum Provincialis Belgici, manus ei imposuit, presbyteratum conferens.

Cum illo tempore in Provincia Belgica cursus philosophiae theologiaeque septennium duraret, P. Roelandts usque ad mensem Octobrem 1900 in collegio Beauplateau remansit. Deinceps per aliquot menses Patrem Saintrain adiuvit in edendo periodico *La Voix du Rédempteur*, atque annis 1903–1906 fuit inter moderatores periodici scientifici *La Nouvelle Revue Théologique*, inde ex a. 1896 nobis concediti. In eo solide disseruit de

Corde Eucharistico, de dissensu inter Bossuët et Fénelon propter quietismum orto, praesertim autem de rebus theologiae moralis et pastoralis ¹.

Exeunte a. 1906 Bruxellis moderandam recepit piam unionem Matrum Christianarum, a. 1856 a P. Dechamps, futuro Cardinali S. R. E., pro altioris condicionis feminis fundatam, cui ipsa regina Elisabeth honoris causa praesidebat. Annis 1909-1924 per vices praefuit collegiis Beauplanteau, Bruxelles S. Ioseph, Jette. Tum per sex annos Consultor Provincialis fuit et deinceps usque ad finem Consultor localis in Jette et Bruxellis.

In omnibus his muneribus et officiis confrater vita defunctus manifestabat obligationis moralis sensum fide nutritum, mentem lucidam, voluntatem fortem, methodum ordinatam, corporis habitum sermonemque distinctum. Externe quandoque nonnihil difficilis, immo forte aliquanto rigidior esse videbatur, licet interne esset valde sensibilis. Sodales Provinciae ei suam fiduciam demonstrarunt eum pro Capitulo generali anni 1921 Vocalem eligentes.

Orator sacer vere eminens, etiam auditorium magnarum urbium altiora exigens contentum reddere, immo admiratione afficere sciebat. Nunquam, quamvis longa pulpiti experientia versatissimus, ex tempore dicere voluit, sed minima quaeque palam dicenda perquam diligenter praeparabat. Quamquam e terra Flandrica ortus, fere semper Gallice contionabatur, et stilo quidem purissimo, formato in schola cl. L. Veuillot, quem scriptorem egregium legebat et relegebat per totam vitam.

Quatuor annis subsequentibus (1922-1925) quadragesimales stationes habuit Bruxellis in regia paroecia S. Iacobi (Caudenberg). Sermones tanta cura lucubrati nunc legi possunt in quatuor libris eximiis, quibus partim honor translationis et reeditionis obvenit ². A confratribus duarum Provinciarum exterarum, Argentoratensis et Canadensis, ad tradenda exercitia communia invitatus est.

Redux ex hoc ultimo labore transatlantico, vires suas quasi subito ad finem vergere sensit. Itaque ad valetudinarium supra nominatum se contulit, ubi eum attendebant dolores magni, donec nocte 14 Aprilis h. a., tranquillus et fiduciae plenus, obviam ivit animarum Sponso, *le plus beau des enfants des hommes*, sicut ipse in cuiusdam libri sui titulo eum appellat, et nunc, ut speramus, in aeternum vivit Christo amore indivisibili.

Inceperat vitae annum septuagesimum, et per quadraginta septem annos generoso studio sese devoverat servitio Iesu Christi animarumque in Congregatione SS. Redemptoris.

¹ Cfr. M. DE MEULEMEESTER, *Bibliographie* II, 353 et t. III.

² Videsis Bibliographiam supra citatam.